

**Disputatio medica inauguralis, de ictero ... / eruditorum examini subjcit
Jonas Asplin.**

Contributors

Asplin, Jonas, 1770-
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Apud Robertum Allan, 1797.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/hrd54xqf>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





12

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ICTERO.



15

DISPUTATIO MEDICA

IN AUCTORITATE

I. C. T. E. R. O.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

I C T E R O;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi Admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JONAS ASPLIN, A. M.

ANGLO-BRITANNUS,

SOCIET. REG. PHYSIC. EDIN.

SOC. HON.

SOCIET. CHIRURGO-PHYSIC. EDIN.

SOC. EXTRAORD. ET PRÆS. ANN.

NECNON

SOCIET. AMERIC. PHYSIC. EDIN.

SOC. EXTRAORD.

AD DIEM 12 SEPTEMBRIS, HORA LOCOQUE SOLITIS.

"Regius est vero signatus nomini morbus,

"Molliter hic quoniam celsa curatur in aula."

Q. SERENUS.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO,

APUD ROBERTUM ALLAN,

MDCCXCVII.

INSTITUTIO MEDICA INUGRALLIS

DE
I O T E R O

ANNUENTE SUMMO NUMINE
Et Assensu Reverendi Academici Vni-

O. GEORGI BARD, S. T. P.

RECTORIS ACADEMIE PRÆFECTI

ACADEMIA
ACADEMIA SENATUS ACADEMICI Consensu
Et Approbatione FACULTATIS MEDICÆ Ordinæ

PRO GRADU DOCTORIS

THOMAS ASPLIN A. M.
CUM LAUDE ET PRIVILEGIO

THOMAS ASPLIN A. M.
ANGLO-SCOTICUS

PHYSICUS ET CHIRURGUS
HABITANS IN

SCOTIA

PHYSICUS ET CHIRURGUS
HABITANS IN

SCOTIA

PHYSICUS ET CHIRURGUS
HABITANS IN

SCOTIA

PHYSICUS ET CHIRURGUS
HABITANS IN

SCOTIA

PHYSICUS ET CHIRURGUS
HABITANS IN

SCOTIA

PHYSICUS ET CHIRURGUS
HABITANS IN

VIRO ERUDITISSIMO CELEBERRIMOQUE,

ALEXANDRO MONRO, M. D.

REI ANATOMICÆ

IN

ACADEMIA EDINBURGENA

PROFESSORI,

ANATOMICORUM

PRIMO,

HANC DISPUTATIONEM

SUMMA OBSERVANTIA

D. D. CQUE

JONAS ASPLIN.

VIRI ERUDITISSIMO CLEBERMOONT

ALEXANDRO MONRO, M. D.

DE ANATOMIA

ET

SCIENTIAE MEDICINAE

PROFESSORI

ANATOMICAE

PRIMO

HAEC INSTITUTIONE

SCIENTIAE MEDICINAE

IN

LIBRARIIS

ET

NECNON

PATRI OPTIMO,

FRANCISCO ASPLIN,

ARMIGERO,

HAS

STUDIORUM

PRIMITIAS,

PIETATE,

QUA FILIUM DECET,

MOTUS,

SACRAS

VULT

JONAS ASPLIN.

CORRIGENDUM.

§ xxxi. lin. 2. *pro muscuosâ lege musculosâ*

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ICTERO.

JONA ASPLIN, AUCTORE.

PROŒMIUM.

§ I. **U**T mos est omnibus, qui summos medicinæ honores ab hac academia petunt, de re quadam ad artem medendi pertinente aliquid scribere; ita, de *ictero* agere, nobis in animo est.

II. *NOMEN*.—Hic morbus, velut plerique eorum, quibus, ubique gentium et omni ætate, hominum genus sæpenumero et graviter afficitur, variis nominibus, prout cuique libuerit medicorum, qui eum tractârunt, insignitus est.

III.—I. A CELSO *, et PLINIO SECUNDO † quoque, morbus, de quo disputare nobis in animo est, modò *REGIUS*, modò *ARQUATUS* seu *ARCUATUS* appellatur. Illud ei nomen ab his auctõribus, et itidem ab HORATIO ‡, inditum est, ideo fortasse quòd eo affecti sanentur, ut olim saltem nonnulli perperam existimârunt, si regiis deliciis impensè oblectentur || ; imprimis si utantur “ lecto etiam, et conclavi cultiore, usu, “ loco,

* Vide AUREL. CORNEL. CELS. *De Medicin.* Lib. III. cap. XXIV.

† Vide C. PLIN. SECUND. *hist. nat.* Lib. XXII. cap. XXIV.

‡ Vide QUINT. HORAT. FLACC. *De Art. Poet.* lin. 453.

|| Vide ibid. in usum Seren. DELPHIN.

“ loco, ludis, lascivia, aliis, per quæ mens exhibetur; ob quæ,” ait CELSUS, “ *REGIUS MORBUS* dictus videtur *.” *ARQUATUS* vel *ARCUATUS* nominatus est ex iridis, sive arcûs pluvii similitudine, quippe quia corpus colore varium reddit †.

2. *ICTERUS* quoque vocatus est, ex ave, cui, ex colore flavo ei proprio, nomini itidem *ICTERUS* est, seu *GALGULUS*; et quæ, si ab aliquo hoc morbo laborante spectetur, ipsa mori, morbus autem sanari, traditur ‡.

3. Quinetiam, *AURIGO* a SCRIBONIO LARGO, cadentis utique Latinitatis auctore, appellatus est, ex aureo, procul dubio, colore, quo summum eorum corpus, qui eo tentantur, ubique,

A 2

præ

* Vide AUR. CORN. CELS. *De Medicin.* Lib. III. cap. XXIV.

† Vide SWIETEN. *Comment. in BOERHAV. Aphor.* Tom. III. p. 95.

‡ Vide C. PLIN. SECUND. *Hist. Nat.* Lib. XXX. cap. XL.

præ cæteris tamen partibus, oculi et unguës, inficitur.

4. Eandem ob (III. 3.) causam, huic morbo conjugata nomina, *JAUNISSE* a GALLIS, a BRITANNIS *JAUNDICE*, indita sunt.

IV. *ÆTAS*.—1. Ullo vitæ tempore, corpus *ictero* languescere potest. Eo sæpe flavescent provecti ætate, et senes; neque profectò rarò aut ipso confecti intereunt, aut superveniente hydrope inundati et tumidi extinguuntur.

2. Quinetiam, qui mediam aut virilem ætatem agunt, et qui, multos per annos, viribus forsàn integris gavisi sunt, ii hoc morbo interdum corripuntur; et vel graviter conflictati tolluntur e medio, vel saltem ægerrimè, et post magnum hinc detrimentum captum, superstites evadunt.

3. Imò

3. Imò, juvenes robustos quidem, neque ventri, neque potationi, neque peni deditos, *icterus* nonnunquam invadit; et non solùm pulchram formæ dignitatem deturpat, sed etiam vires, quibus, præ ætate, freti superbiunt, præmaturè labefactat.

4. Atque adeò, insontes infantes recens nati nonnunquam *ictero* priùs plectuntur, quàm voluptatem primoribus gustaverunt labris; atque matres, timore mœroreque impletæ, sobolem flavescentem, lachrymis abortis, contuentur.

V. *SEXUS*.—Et mares et foeminæ morbo regio interdum afficiuntur. Tenera haud rarò virgo labellis suaviloqua roseis, roseo spectabilis ore, flavescit. Heu! hebescent nunc illi oculi, haud ita pridem nitentes, aspici lubrici, quorum scintillatio conversos fervidorum juvenum oculos perstringere solebat: imò, decolorantur illæ genæ,

næ, quæ nuper rubore decoræ, puniceas rosas
mane roratas æmulabantur : atque infelix vir-
go, quoties se in speculo vidit alteram, dicit
heu !

“ Quo fugit VENUS ? heu ! quove color decens ?

“ Quo motus ? quid habes illius, illius,

“ Quæ spirabat amores ?”

HOR.

VI. *REGIO*.—Nulla, quantum scio, orbis
terrarum regio est, in qua homines *ictero* non
interdum flavescent. Verùm in calidis tamen et
æstuosis, præ temperatioribus, hoc forsan mor-
bo homines sæpius decolorantur ; quippe cùm
illic et hepar, quo bilis secernitur, et ductus,
quibus hæc in summum intestinum devehitur se-
creta, sæpius malè se habeant.

VII. *RATIO VIVENDI*.—*Ictero* in primis op-
portuni sunt ii, qui vitam desidiosam, sine sa-
lutari corporis exercitatione, agunt : neque eo-
dem ii rarò flavescent, qui, sibi nimis indulgen-

do

do vino meraciore, corpora accendunt *. In literas itidem intenti, qui concubiâ nocte solent chartis impalescere, eodem haud rarò decolorantur.

VIII. *SPECIES*.—Quod ad colorem, quo inquinatur cutis, attinet, *icterus* in complures species dividitur: quarum præcipuæ sunt, *ICTERUS FLAVUS*; *ALBUS*; *VIRIDIS*, et *NIGER* †. De harum verò specierum primâ tantùm, disserere nobis in animo est; eoque magis, quòd cæteræ, si rectè *icteri* species dicantur, esse secundariæ seu *symptomaticæ* videntur.

IX. His (II.—VIII.) expositis, dicendum est, quibus signis definiatur *icterus*, et ex quibus causis hæc fiant.

DEFI-

* Vide MEAD. *Monit. et Præcept.* edit. a CLIFTON. WINTINGHAM. Tom. II. p. 41,—2.

† Vide SAUVAGES. *Nosolog. Method. Class. X. Ord. VI.* sub init.

DEFINITIO.

X.—1. *Icterus* a CULLENO satîs forsan accuratè sic definitur : “ *Flavedo cutis et oculorum ; fæces albidæ ; urina obscure rubra, im-*
“ *missa colore luteo tingens.* *”

2. Hæc (X. 1.) definitio ad *flavum* tantummodo *icterum* pertinet. CULLENO enim, ut ipse fatetur †, dubium visum est, utrùm cæteræ species a SAUVAGESIO ‡ aliisque *nosologis* memoratæ, rectè, necne, *icteri* appellentur.

SIG.

* Vide CULLEN. *Synops. Nosolog. Method.* Tom. II. Gen.
XCI.

† Vide CULLEN. *Synops. Nosolog. Method.* ibidem.

‡ Vide SAUVAG. *Nosolog. Method.* Class. X. Ord. VI.

S I G N A.

XI. *Aurigo* nonnunquam subitò, nullo edito signo, quo ejus impetum exploret medicus, invadit. Plerumque autem, eam in propinquo esse, prænunciant sensus ponderis, et in hypochondriorum dextro dolor, qui modò acutus est, modò obtusus; simulque ventriculi inflatio, flatus, aliaque signa, quæ pravam alimentorum concoctionem comitari solent.

XII. Eodem ferè tempore, lassescit homo, iners fit, ignavus et somniculosus; atque tantum ei motûs est tædium, ut ægerrimè, nisi quò aut sollicitantem appetitum expleat, aut urgenti pareat necessitati, in motum etiam levissimum cieatur.

B

XIII. Haud

XIII. Haud multò pòst, quod in oculis album esse debet, fit luteum *. Tum flavescunt deinceps tempora, collum et totum corpus, imò ipsæ carnes, ossa †, ungues, cartilagines et cerebrum ‡.

XIV. Urina interim crocea fit, et immissa lintea luteo colore tingit : fæces albidæ fiunt aut cineræ, et argillam figularem soliditate et tenacitate referunt : saliva, quæ in sano homine saporis expers est, aliquando amarescit, et cibo, dum dentibus manditur, extenuatur, molitur, suam impertit amaritiem. Imò ipse sanguis, e vena missus, nonnunquam luteus apparuisse fertur. Lacti autem, ut testatur HEBERDENUS, per

* Vide AUREL. CORNEL. CELS. *De Medicin.* Lib. III. cap. XXIV.

† Vide SAUVAGES. *Nosolog. Method.* Tom. II. p. 585.

‡ Vide SANDERIS. *Treatise on the Structure, Economy, and Diseases of the Liver*, edit. LOND. ann. M,DCC,XCIII, p. 175.

per totum morbum, suus constat color : quocirca, non mirari non possumus maternam quasi curam, qua alma natura infantum nutritui providit:

XV. Eodem tempore, ictericus sitit admodum ; cibum fastidit, nauseat, aliquando etiam, protinus ut assumitur aliquid, vomit. Ei simul inflatur ventriculus ; intestina gravi strepitu murmurant ; atque alvus pigra modò est, modò perquam astricta.

XVI. Solentque accedere et dolor capitis, et frequens singultus, et præcordiorum dextrâ parte durities ; et, ubi corporis vehemens motus est, spirandi difficultas, membrorumque resolutio *.

XVII. Crescentibus in dies lassitudine et

B 2

pigritiâ,

* Vide AUR. CORN. CELS. *De Medicin.* Lib. III. cap. XXIV.

pigritiâ, omnia, quæ inspiciuntur, flavida apparere * dicuntur ; verùm, nihil tale accidere, nunc omnes inter medicos convenit. Quinetiam, ubique arescit et prurit cutis †. Denique, ubi diutius manet morbus, totum corpus cum pallore quodam inalbescit ‡ : aut lenta et insanabilis supervenit febris, quæ ægrum, dolore et debilitate confectum, e vita tollit ; testantibus enim HIPPOCRATE et DIOCLE, si, post febrem, oritur morbus regius, etiam prodest, sin, post morbum regium, febris, occidit § ; quod idem, ni fallimur, experientia peritissimi cujusque medici etiamnum testatur.

CAUSÆ

* Vide FREDERIC. HOFMAN. *Oper.* Tom. III. cap. XII.

† Vide SAUVAG. *Nosolog. Method.* Tom. II. p. 585.

‡ Vide AUREL. CORN. CELS. *De Medicin.* Lib. III. cap. XXIV.

§ Vide AUREL. CORN. CELS. *De Medicin.* ibid.

CAUSÆ REMOTÆ.

XVIII. CAUSARUM, unde *icterus* enascitur, duo sunt genera : quorum unum eas complectitur, quæ proclive ad morbum corpus faciunt ; alterum eas, quæ, proclivi facto corpori admotæ, morbum concitant: Quæ illo genere continentur, *PRÆDISPONENTES* ; quæ autem hoc, *EXCITANTES* appellantur.

GENUS PRIMUM.

XIX. *INTESTINORUM TORPOR.*—Inter causas, quæ opportunum *ictero* corpus reddunt, imprimis memorandus torpor intestinorum est. Quibus enim pigratur alvus, in eorum summum intestinum bilis ex *ductu communi choledocho* jus-

to tardiùs et rariùs influit. Quocirca, dum in hoc ductu, vel in vesica fellis, diutius remoratur, partibus tenuioribus absorptis spissescit lentescitque ; neque profectò rarò, occasione sic datâ, concrescit in massulas, quales vel non omnino, vel saltem ægerrimè et cum gravi dolore, in summum intestinum transmittuntur.

XX. *TEMPERAMENTUM MELANCHOLICUM.*

—Ob hanc (XIX.) fortasse causam, quibus est melancholicum corporis temperamentum, ii, præ cæteris, morbo regio inficiuntur. Hujusmodi enim hominibus plerumque est alvus plùs minùsve tarda, dura, et astricta.

XXI. *GRAVIDITAS.*—De eadem (XIX.)

forsitan causâ, fœminæ, imprimis gravidæ, *aurigine* persæpe flavescunt. Non solùm enim præ graviditate, sed etiam sedentariâ et ignavâ, quam muliebriter agunt, vitâ, his alvus pigrior est,

est, quàm hominibus, quorum corpora plerumque magis exercentur.

XXII. *VITA SEDENTARIA*.—Hinc (XIX.) quoque apparet, quare sedentarii, velut sutores et sartores; atque homines in literas intenti, qui mentibus vegeti sunt, corporibus ignavi; præ iis, qui graviore labore vitam tolerant, *ictero* decolorentur. Ob solitam enim corporis segnitiam, illiusmodi hominibus intestina plerumque torpent, seseque pigrè astringunt et relaxant; quam ob rem, bilis, ex *ductu communi choledochi*, non satis promptè in ea allicitur.

XXIII. His (XIX.—XXII.), de proclivitate ad *icterum*, compressè memoratis, nunc animum in eas causas, quæ, proclivibus admotæ, morbum concitant, intendere opus est.

GENUS SECUNDUM.

XXIV. *IMPEDITA BILIS SECRETIO*.—Omnes ferè vetusti auctores, et recentiorum quidem nonnulli, *icterum* impeditâ bilis secretionem effici opinati sunt. Quantum verò opinione laberentur, eò apparet; quòd hepar duritiis et abscessibus usque eò interdum afficitur, ut bilem vel non omnino, vel saltem perparcè, secernat, atque nihilo tamen magis supervenit *icterus*.

XXV. *BILIS LENTOR*.—Existimârunt nonnulli, bilis lentore et crassitudine morbum regium concitari.

XXVI. 1. Contra hanc verò (xxv.) opinionem objici potest, talem lentorem, qualis bilem ineptam, quæ influeret in summum intestinum redderet, multo sanè ineptiorem, quæ per
ca-

naliculos exiguißimos in sanguinem reflueret, redditurum.

2. Eandem, porrò, (xxv.) opinionem infirmat id, quod memoriæ traditur de ægroto quodam; qui, vivus, nulla *icteri* signa ostendit, sed, in cujus cadavere inciso, vesica felle bile, præter solitum, spissâ, in immensum distenta conspiciebatur.*

XXVII. *FLUXUS BILIS IN SUMMUM INTESTINUM IMPEDITUS*.—Causæ, quæ hunc morbum revera concitant, sunt eæ, quæcunque sint, quæ, ne in summum intestinum, ex ductu hepatico, ductuve communi *choleodocho*, influat bilis, impediunt.

XXVIII. Bilis, ne per ductum *cysticum* fluat, impedita, *icterum* concitare non potest. Hoc enim ductu impervio factò, ut bilis ex ductu hepatico in summum intestinum continuo rivo

C

fluat,

* Vide EDINBURG. *Med. Ess.* Vol. II.

fluat, necesse est: neque profectò bilis, quae, ullo tempore, in vesica fellis continetur, licèt absorbeat in sanguinem, ad *icterum*, nisi fugacissimum, efficiendum satis pollet.

XXIX. *INFLAMMATIO*. ----- Ad hujusmodi (xxvii.) causas pertinet ductuum inflammatio. Ob hanc enim, illi aliquando omnino concreescunt, vel saltem usque eò coangustantur, ut bili transmissus non pateat.

XXX. Cùm ita (xxix) sit, minimè profectò (negandum est, quin, licèt hoc rariùs accidat, *icterus* acutam hepatis inflammationem nonnunquam comitari possit. Inflammatio enim, quam ceperit jecur, in ductum hepaticum, imò in *communem* forsitan *choledochum*, serpat; et sic impediat, quò minùs bilis, ut naturaliter debet, in summum intestinum profluat. Meatu naturali intercluso, necesse est, ut retroagat cursum; et in circumfluum sanguinem

nem vel absorbeatur, vel, id profectò quod, SANDERISIO saltem iudice, fieri potest, per meatus felleos refluat.

XXXI. *SPASMUS.*----Cum ductus, quibus fluit bilis, musculosâ tunicâ praediti sint, cuius fibrarum nonnullae in longum tendunt, aliae autem spirae modo, aut in orbem; dubitari vix potest, quin, orbiculatis fibris spasmò affectis, ita interdum constringantur ductus, ut bilem transmittere nequeant.

XXXII. *Auriginem* ex hac (XXXI.) causâ enasci, suspicandum est, quoties, nullo signo praemisso, inopinantem subitò invadit. Sic interdum afficiuntur viri demisso animo, foeminae *hystericæ*, sed maximè pueri subito terrore impleti. Sed, ut *icterus* e spasmò inopinanter invadit, ita, soluto spasmò, festinanter decedit.

XXXIII. *MUCUS TENAX*.---Verisimile est, mucum tenacem, aliamve quamlibet glutinosam materiam, adeò nonnunquam meatus, quibus fluit bilis, oppilare, ut huic nullus, per illos, in summum intestinum introitus pateat.

XXXIV. Sic (xxxiii.) *icterus*, qui remediis opportunè assumptis facilè curatur, aliquando laxos, debiles, et pituitosos afficit; eos in primis, quibus pigra alvus est, et quorum ventriculus saepe inflatione afficitur, atque assumpta alimenta malè concoquit.

XXXV. Ob eandem (xxxiii.) causam, infantes recènter nati fugace *aurigine* haud rarò flavescent. In horum enim summo intestino, modò tardum *meconium* ductûs *choledochi* osculum opplet, modò colostrum inibi coactum obturat; adeò, ut bilis ex ductu in summum
intes-

intestinum fluxus, ex toto, impediatur.* Haec autem *aurigo* facilè curabilis est, quippe cùm, expurgatis intestinis, brevi evanescat.

XXXVI. *CONCRETA*.---Omnes ferè humores, qui a sanguine secernuntur, remorâ haud rarò in massulas coeunt: quocirca, in variis corporis partibus, potissimùm autem visceribus, concreta ab incidentibus rimantibusque *anatomicis* nonnunquam eruuntur. Haec autem, alia ab aliis, differunt colore et gravitate, aliisque qualitatibus, pro liquore quo concrescunt; neque, profectò, rarò etiam ea, quae in eodem liquore, bile velut, formantur, hominibus temporibusve diversis, discrepant inter se.

XXXVII. Bilis verò, prae caeteris humoribus a sanguine secretis, apta, quae in ejusmodi

* Vid. SAUVAGES. *Nosolog. Method.* Tom. II. p. 590.

SWIETEN. *Comment. in BOERHAV. Aphor.* 950.
Tom. III. pag. 128.

modi (xxxvi.) concreta durescat, videtur.

Talia enim concreta in vesica fellis, imò in ductibus, *cystico* nempe et *choleodocho*, per quos ex hac in summum intestinum fluit bilis, haud rarò, incisis cadaveribus, conspiciuntur.

XXXVIII.---1. Concreta (xxxvii.) fellea multum, aliud ab alio, magnitudine differunt. In ductibus aliquanto exiguiora sunt; in vesica fellis in magnam molem augescunt, diuque interdum, sine gravi hinc detrimento, aut dolore capto, morantur.

2. Multum itidem variant figurâ. Ut plurimum multangula sunt: interdum verò triangula: interdum *prismam* figurâ referunt.*

3. Quin-

* Vid. EDINBURG. *Med. Ess.* Edit. v. Vol. II. Art.

3. Quinetiam, discoloria sunt. Albida enim haec sunt; illa flavida: alia subfusca; subnigra alia: alia, denique, nigræ saturata.†

4. Constant, quantum ex periculis, quae perdoctè cepit SANDERISIUS, accipimus, ex resinoso quodam; terrâ, ut videtur, calcariâ; *alcalibusque* duobus, *soda* nempe et *ammonia*.‡

5. Diversa concreta fellea inter se comparata, gravitate, aliud ab alio, differunt: omnia tamen aquae dulci, in quam induntur, vel facilè supernatant, vel in ea aegrè subsidunt.§

6. Flammam, ob resinosi aliquid, quod iis inest

† SANDERIS. Opusc. supra citat. p. 113.

‡ Ibid.

§ Vid. EDINBURG. Med. Ess. Vol. II. Art. xxviii.

inest, concipiunt; et flammata protinus deinde ignescunt.

7. Quod ad fabricam attinet, ex laminis plurimis constant: quae, interiora versus, e centro, radiorum more, divaricant; exteriora autem versus, commune centrum circumeunt.

8. Gustatu amara sunt: tactu levia; et, tanquam illita oleo, lubrica.*

XXXIX. Hujusmodi (xxxviii.) concreta, e jecore in ductum hepaticum, et adhuc magis e vesica fellis in ductum *choledochum*, propria gravitate delapsa, aut valido quolibet motu, potissimum vomitu, extrusa, si in alterutro morantur, non solum, meatu praeccluso, bilis in summum intestinum fluxui officiunt, sed etiam gravissimum. et ferme impatibilem concitant dolorem.

XL.

* Vid. EDINBURG. *Med. Ess.* Vol. II. Art. xxviii.

XL. *Icterus* a concretis ductum obturantibus incepisse, satis ferè constabit, si motum quemlibet nimisve validum, imprimis autem vomitum utut concitatum, subsecutus fuerit ; si ab initio perquam acutus fuerit dolor ; et si, haud longo pòst tempore, dolore subito cessante, subsequatur biliosa diarrhoea, et in iis, quæ infrà eruperint, concretum conspiciatur.

XLI. *TUMORES*,---qualescunque sint, sive in ipsorum ductuum tunicis, sive in hepate * vicinisve partibus, dummodo aut ductum hepaticum aut communem valdè comprimant, bilis in summum intestinum fluxui officiunt, usque eò, ut *icterus* subsequatur.

XLII. His (XVIII.---XLI.) dictis, de causis, uti vocantur, remotioribus, nunc opus est, ut de causa *proxima* astrictè disseramus.

D

CAUSA

* Vid. EDINBURG. *Med. Ess.* Vol. II. Art. XXI.

CAUSA PROXIMA.

XLIII. CAUSA, quae praesens *icterum* facit, minuta levat, sublata tollit, bilis e sanguine, ministro hepate, secreta, et ex ductibus, hepatico nempe *choledochove*, in eundem revectora, videtur.

XLIV. 1. Duabus forsitan viis revehitur in sanguinem bilis. Vel enim, ut MONRO, ex ingenio clarissimus, experimentis luculenter demonstravit, a vasis bibulis, quae in ductus patentibus osculis inhiant, absorbetur; et absorpta, receptaculi *chylî* ductûsque *thoracici* interventu, in irrequietum sanguinem defertur:

2. Vel ex ductibus, per *poros biliferos*, in surculos venae portae refluit; unde, intermediis

mediis venis cavis hepaticis et cavâ magnâ inferiore, in dextram devehitur cordis auriculam, et sic totum sanguinem inquinat.

XLV. Illâ (XLIV. 1.) enimvero viâ, ex obturatis praeclusisve ductibus, in sanguinem reduci bilem, inter omnes convenit medicos; et experimenta, quae accuratè instituit, et publici juris nuper fecit SANDERISIUS, nullam apud quosdam reliquerunt dubitationem, quin isthinc hac (XLIV. 2.) itidem viâ in sanguinem, a quo non pridem secreta est, redux fluat.*

XLVI. Cùm signa *icteri* vel ex bilis defectu in alvo pendeant, vel ex eadem sanguinem inquinante, a re nostra haud alienum erit, hîc loci, memorare, ex quibus partibus constituatur bilis, et cui usui inserviat.

D 2

XLVII.

* Vid. SANDERIS. Opuscul. sup. citat.

XLVII. Bilis, quatenus experimenta ejus partes patefecerint, constat ex latice aquoso, unde permanat odor pungens; ex materia mucosa, quæ ovi albumen simulat; ex resinosis quodam, unde pendent color et amaritudo; denique *sodæ carbonate*. †

XLVIII. Quod ad usus bilis attinet, intelligendum est, intestina in motus salutares instigare; aquosas salinasque alimentorum partes cum oleosis uniter commiscere, ut ex omnium unitate nutritius *chylus* paretur; coactas partes attenuare et solvere, quò vasis bibulis inhiantibus faciliùs exsorbeantur; et, denique, fermentationi et putredini adversari.*

XLIX. His (XLVII. et XLVIII.) cognitis, minimè mirandum est, si, ductibus, quibus debet

† Vid. SANDERIS. Opuscul. sup. citat.

* Vid. SANDERIS. Opuscul. sup. citat.

bet influere in summum intestinum, praeclusis, bilis alterutrâque (XLIV. 1. 2.) viâ in sanguinem delata, numerosam signorum (XI.---XVII.) morbidorum prolem progignat. Ex his quorundam saltem rationem, hîc loci, reddere, nobis in animo est.

RATIO

RATIO QUORUNDAM SIGNORUM.

L. *FLAVUS* (XIII.) *COLOR*---suffusione bilis ex circumfluo sanguine efficitur. Maximè autem conspicuus est in tunica oculorum *albuginea*, utpote quae naturaliter alba sit.

LI. *URINA GROCEA*, et *SALIV^A* (XIV.) *AMARA*, ---est, ob bilem ex inquinato sanguine secretam, et illi colorem, huic amaritudinem, impertientem.

LII. *FAECES* (XIV.) *ALBIDAE*---sunt, quòd, propter bilem, ne in summum intestinum influat, impeditam, non ex eâ flavum, ut solebant, colorem accipiunt.

LIII. *ASTRICTA* (XV.) *ALVUS*---est, quòd, ductu communi *choledocho*, ductuve hepatico

fic

sic praecluso, ut in summum intestinum bilis nequeat influere, intestina in motus salutare, quibus infrà transmittantur fæces, non, ut debent, cientur.

LIV. *INFLATIO VENTRICULI, NAUSEA, et (xv.) VOMITUS*,---partim ventriculi infirmitate efficiuntur; ob mirum enim consortium, quod ventriculo est cum intestinis, si haec torpeant, ille quoque torpet, et ad alimenti concoctionem fit invalidus: partim moventur proprio ventriculi succo, quem bilis, unà cum eo ex sanguine sive secreta sive effusa, multum inquinavit.

LV. *INERS, IGNAVUS, et (xii.) SOMNICULOSUS*,---ictericus est, quòd, propter miram omnium corporis partium consortionem et quasi communitatem, intestinis torpentibus, caeterae simul partes itidem torpent.

LVI *PRÆCORDIORUM DEXTRA PARTE* (XVI.)
DURITIES,--efficitur vel vesicâ felleâ nimis bile
 distentâ ; vel hepate ipso bile, *poris biliferis*
 cumulatâ, admodum tumefacto ; vel utrisque
 simul.

LVII. *CUTIS* (XVII.) *PRURITUM*---mouet
 bilis, ex arteriis exhalantibus effusa, qua ner-
 vi, quibus ad sentiendum instruitur cutis, irri-
 tantur.

LVIII. *FEBRIS* (XVII.)--oritur ex irritatione,
 quam efficiunt vel concreta fellea ductibus
 hærentia, vel bilis, qua inquinatur circumflu-
 us sanguis.

LIX. His (L.---LVIII.) signis explica-
 tis, proximum est, ut, quæ signa mala sint,
 quæ bona, quàm paucissimis dicamus.

PROGNOSIS.

LX. BONUM hujus morbi praecinendum est eventum, vel augurandum malum, pro causis, quae concitaverint, etiamnumque perpetuent; pro signis, quibus notetur; et pro icterici aetate.

LXI.---1. Si ab organorum vitiis non generatus fuerit, veluti tumoribus aut ductuum ipsorum, aut hepatis, aut aliarum partium vicinarum; sed a spasms ductus constringentibus, aut muco tenace concretisve felleis non ita magnis eosdem opplentibus obsignantibusve; bonum est.

2. Ubi aliquid bilis suprà infràve erumpit; ubi cutis neque multùm flavescit, neque nigricat; ubi alimenta satìs concoqui videntur, neque ex *chyli* defectu macrescit corpus; bonum est iterum.

3. Denique, bonum est, cùm ictericus juvenilem agit aetatem; nequedum vel morbo ipso, vel aliis morbis antecedentibus, magnopere infirmatus est.

LXII.---I. Contrà, si vel vitia ductuum ipsorum, vel duritiae hepatis, vel etiam magna concreta ductus oppilantia, *icterum* effecerint, periculosum est.

2. Malum est, cùm cutis nigrescit; cùm alvus perquam sicca est et astricta, et in iis, quae aegrè dejiciuntur, nullum bilis indicium est; et cùm alimenta tardè et non penitus concoquuntur, atque morbus jam frequenter redivit.

3. Pejus verò est, ubi hepar induruit; ubi abdomen tumidum est, et durum.

4. Pessimum est, si ictericus foedissimo
alvi

alvi profluvio quasi colliquescit ; si vel cava corporis, vel tela adipalis, vel omnia haec simul, aquâ effusâ inundantur ; si spiritus difficilis est ; si cor palpitât, et arteriae inaequaliter ordinantur. In eodem morbo mortifera quoque sunt febris *hectica*, sitis inexplebilis, et anxietas ; quippe cùm spem ictericum ad sanitatem perducendi omnino tollant.

5. Servari non potest ictericus, si senio confectus sit, ejusve vires morbis aliis praegressis jam multùm fractae fuerint.

RATIO

RATIO MEDENDI.

LXIII. ICTERUS, si duritiis hepatis, aut ductuum concretioni supervenerit, vix, et plerumque ne vix quidem, sanabilis est. Nulla enim medicamenta novimus, quibus aut illæ certò emolliantur, aut hi reddantur bili pervii.

LXIV. Cum ita (LXIII.) sit, medendi ratio, quam secuturi sumus, ad *icterum* potissimum respicit, qui vel ex spasmo ductuum oritur, vel ex concretis felleis eosdem obturantibus.

LXV. Quò hujusmodi *icterus* curetur, opus est, primùm spasmus solvere; deinde concreta, si qua ductibus inhaerere credamus, expellere.

CONSILIUM PRIMUM.

LXVI. SPASMUS ductuum solvendus est sanguinem mittendo ; deinde fovendo ; et tum opio et diluentibus.

LXVII. SANGUINIS DETRACTIO.---Si ictericus juvenis sit ; et ictus arteriarum febrem et inflammationem indicent, aut saltem injiciant metum, ne hae superveniant ; sanguis e brachio mittendus est. Hoc enim non solùm, contra febrem ardentem et inflammationem, pollet, sed etiam efficit, ut spasmus faciliùs solvatur.

LXVIII. FOTUS.---Ictericis multùm prodest, abdomen externum aquâ tepidâ, vel laneis ex aqua tepida expressis, internum aquâ tepidâ, per anum, clysteris ope immissâ, subinde fovere. Hoc enim factò, spasmus haud raro,

rò solvitur, et, bile in summum intestinum
intromissâ, morbus evanescit.

LXIX. *OPIUM*.---Sanguine, si opus fuerit,
elicitò, et sic inflammatione vel repressâ vel
praecautâ, icterico efficax saepe et præsenta-
neum auxilium affert opium.

LXX. *LIQUORES MITES*,---ex iis quae di-
luunt et emolliunt, interea assumendi sunt.

CONSI-

CONSILIUM SECUNDUM.

LXXI. Ad expellenda concreta, nihil tantum prodest, quantum lenis corporis agitatio.

LXXII. *VOMITIO*.---Hoc (LXXI.) consilio, vomitus movendus est, et, ut nonnulli suadent, gravis. Sed, MONRONE iudice, lenis debet esse; idcirco quod periculum est, ne, gravioribus vomendi nixibus, ductus præclusus et admodum distentus dirumpatur.

LXXIII. *PURGATIO*.---In eundem (LXXI.) finem, multum ad concreta eliminanda proficit, alvum purgare. Alvo enim cathartici stimulatâ, quasi emulgetur pars ductus inter præclusionem et summum intestinum; quam ob rem, bilis, ultra præclusionem cumulata, efficiens

officiens concretum aut mucum enixiùs protrudit.

LXXIV. Cathartica autem lenia debent esse, quippe quæ, dum intestina incitant, ductumque *choledochum* sollicitant, corpus refrigerent, et sic obstant, ne superveniat inflammatio.

LXXV. *Equitatio*,---denique, corpus agitando multum pollet, ad expellenda ea, quæ ductus præcludunt. Ictérico igitur, si dolorem non multum augeant equi motus, identidem equitandum est.

FINIS.







